

TESTIS.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt illos, qui possunt vel non esse testes, tum generaliter quoad omnia, tum specialiter quoad certas personas et causas.

SUMMARIUM.

1. Testes unde sint dicti. — 2. Testes generatim loquendo qui sint. — 3. In testibus sex præcipue sunt attendenda, nempe conditio, sexus, vita, ætas, dignitas atque fortuna, et ad id dantur versus Glossæ. — 4. Testes ad hoc, ut ad testificandum possint admitti, debent esse idonei seu habiles, legitimi et integri. — 5. Testes sunt, et habentur idonei ac legitimi quicumque a testimonio dicendo per canones vel leges non repelluntur. — 6. Et contra testes inidonei ac inhabiles ad testificandum sunt omnes illi qui jure prohibentur, sive arcentura testimonio ferendo. — 7. Ex istis aliqui in totum, sive omnino et generaliter prohibentur esse testes, et alii limitate tantum, scilicet vel pro certis personis, vel contra certas personas, vel in certis causis tantum. — 8. Generaliter et absolute inhabiles ad testificandum, tam in causis civilibus quam criminalibus sunt infantes et impuberes. — 9. Item inhabiles ad ferendum testimonium sunt dementes et furiosi. — 10. Item inhabiles ad id sunt surdi et muti simul a nativitate. — 11. Excipiuntur tamen, qui ex accidenti surdi, et muti scribere, aut certis et indubitatis signis, seu notibus cogitationes suas explicare possunt. — 12. Item inhabiles regulariter sunt cæci. — 13. Item inhabiles sunt servi seu mancipia. — 14. Possunt tamen servi seu mancipia esse testes, quando non habetur alia probatio ad eruendam veritatem. — 15. Insuper possunt servi, seu mancipia esse testes etiam in exceptis criminibus. — 16. Item inhabiles sunt ad testificandum, qui pretio ad id sunt conducti. — 17. Item inhabiles ad testificandum, tam in causis civilibus quam criminalibus sunt infames infamia juris. — 18. Item inhabiles sunt ad testificandum in causis criminalibus criminaliter motis etiam infames infamia facti. — 19. In causis autem criminalibus civiliter agitatis, et in causis civilibus non gravioribus regulariter admittuntur ad testificandum tales infames infamia facti. — 20. Etiam infames infamia juris admittuntur ad testificandum in criminibus exceptis. — 21. Item quando veritas aliter haberi non potest, quam per tales infames. — 22. Item quando tales infames rogati fuerunt ab utraque parte, ut essent testes. — 23. Item valet testimonium infamis, quando tempore dati dicti testimonii communi opinione reputabatur bonæ famæ, sicut valet testimonium servi communi opinione habitus ut liberi. — 24. Item inhabiles ad testificandum sunt criminosi, etiam non infames. — 25. In causis civilibus admittuntur ad testimonium tales criminosi, si jam sint emendati; secus vero, si nondum sint emendati. — 26. Et hoc procedit de jure canonico, quamvis tales criminosi de crimine nondum fuerint condemnati; dummodo crimen ipsius objectum legitime probetur. — 27. De jure civili tamen requiritur, ut de crimine illo fuerint antea judicialiter condemnati. — 28. Criminosi jam emendati admittuntur pro testibus etiam in causis criminaliter motis in variis casibus, qui assignantur. — 29. Perjuri non possunt esse testes neque in causis civilibus, neque criminalibus. — 30. Et hoc procedit, etiamsi jam fuerint emendati. — 31. Valet tamen testimonium perjuri in crimine hæresis. — 32. Excommunicati vitandi nequeunt ad testimonium ferendum in judicio admitti. — 33. Imo excommunicati neque possunt admitti ad testificandum contra alios excommunicatos. — 34. Possunt tamen tales excommunicati admitti ad testificandum

in crimine hæresis. — 35. Et generaliter tales excommunicati possunt esse testes in omni casu, in quo testes infames ad testificandum admittuntur. — 36. Item tales excommunicati possunt esse testes instrumentarii, præsertim in casu, in quo non possunt haberi alii testes idonei non excommunicati. — 37. Pauperes et viles personæ nequeunt esse testes in causis criminalibus. — 38. Item in causis civilibus arduis, et magni momenti. — 39. In causis autem civilibus non adeo arduis et magnis, pauperes et viles personæ, nisi aliunde suspectæ sint, non repelluntur a ferendo testimonio in judicio. — 40. Imo et in cæteris quoque casibus admittuntur pauperes ad testimonium, si exteroquin sint personæ honestæ, et nequam suspectæ propter suam paupertatem. — 41. Femina regulariter possunt esse testes in causis civilibus de jure canonico quam civili. — 42. Et hoc procedit etiam in causa matrimoniali. — 43. Nequeunt tamen feminae esse testes in causis feudilibus. — 44. Nisi sint feminae illustres, et habentes feudum sub se. — 45. Neque feminae possunt esse testes in causis civilibus arduis, et magni momenti. — 46. Item neque in testamentis. — 47. Possunt tamen esse testes in codicillis. — 48. Insuper possunt esse testes etiam in testamentis ad pias causas. — 49. Feminae de jure canonico nequeunt esse testes in causis criminalibus criminaliter motis. — 50. Possunt tamen etiam de jure canonico esse testes in causis criminalibus solum civiliter motis. — 51. Item de jure canonico possunt feminae esse testes, si agatur de crimine per modum denuntiationis, exceptionis vel inquisitionis. — 52. Item etiam in crimine hæresis, et aliis exceptis. — 53. Item etiam in causis criminalibus, quando non possunt haberi alia probationes, vel quando agitur ad defensionem alicujus. Et generaliter in omnibus illis casibus, in quibus de jure canonico possunt esse testes etiam personæ infames. — 54. De jure civili possunt feminae, dummodo non sint criminose, aut infames, esse testes etiam in causis criminalibus criminaliter motis. — 55. Si autem sint criminose aut infames, neque de jure civili possunt esse testes in causis criminalibus criminaliter motis. — 56. Item neque de jure civili possunt feminae esse testes in causis criminalibus valde gravibus, et arduis. — 57. Pupilli, seu impuberes regulariter in nulla causa sive civili, sive criminali possunt esse testes. — 58. Unde impuberes neque possunt esse testes in testamentis. — 59. Possunt tamen impuberes esse testes pro matrimonio contrahendo in locis receptis concilii Tridentini. — 60. Item impubes factus pubes testificari potest de iis, quæ vidit in impubertate sua. — 61. Item impuberes pubertati proximi possunt esse testes in revelanda occisione sui domini, et similibus. — 62. Item tales impuberes possunt esse testes in crimine læsæ majestatis. — 63. Item in crimine hæresis. — 64. Item quando veritas aliter haberi non potest, quam per tales impuberes. — 65. Puberes minores viginti annis regulariter non possunt esse testes in causis criminalibus. — 66. Possunt tamen tales puberes esse testes in criminibus exceptis, et quando veritas aliter haberi non potest. — 67. Puberes majores viginti annis, quamvis adhuc sint minores viginti quinque annis, possunt esse testes in causis criminalibus. — 68. Puberes minores viginti annis possunt ordinarie esse testes in causis civilibus. — 69. Nequeunt tamen esse testes in causis civilibus arduis et magni momenti. — 70. Parentes regulariter prohibentur ferre testimonium pro filiis, et contra filii pro parentibus. — 71. Et hoc extenditur etiam ad omnes ascendentes et descendentes tam in linea paterna, quam materna usque in infinitum. — 72. Valet tamen testimonium patris et matris pro probanda filii ætate. — 73. Talis autem testificatio parentum

de ætate filiorum non facit semiplenam probationem, sicut alterius testis extranei, si redundet in commodum filii eum alterius præjudicio. — 74. Item quando causa agitur inter duos filios. — 75. Item possunt parentes aliique consanguinei testes esse in causa matrimoniali filiorum, ubi agitur super consanguinitate vel affinitate aliorum. — 76. Item parentes, aliique consanguinei, aut affines utriusque sexus possunt esse testes, ubi agitur de matrimonio inter æquales contrahendo. — 77. Secus autem si magna adsit disparitas inter contrahentes. — 78. Maritus pro uxore, et e contra uxor pro marito regulariter testis esse non potest. — 79. Et hoc extenditur etiam ad sponsam de futuro, et ad concubinam, atque amasiam. — 80. Consanguinei, et affines illius, qui ipsos produxit ut testes pro se adversus extraneos, non sunt testes idonei. — 81. Domestici ipsius producentis non sunt testes idonei. — 82. Supradictæ conclusiones de marito, et uxore, de consanguineis, et affinibus, et de domesticis limitantur, quando pars adversa sponte eos ad ferendum contra se testimonium, expresse, vel tacite admittit. — 83. Item consanguinei, affines et domestici possunt esse testes in casibus, ubi veritas aliter quam per ipsos haberi non potest. — 84. Item domestici possunt esse testes quando sunt domestici utriusque partis. — 85. Item domestici possunt esse testes instrumentarii et testamentarii. — 86. Inimici non possunt esse testes contra eos, cum quibus gerunt inimicitiam. — 87. Imo inimici contra suos inimicos nequeunt esse testes, neque in criminibus exceptis. — 88. Parentes contra suos filios, et vicissim filii contra suos parentes in judicio testificari non possunt. — 89. Possunt tamen in criminibus exceptis. — 90. Liberti contra patronos non possunt esse testes, nec volentes, nec involiti. — 91. Exceptis tamen criminibus hæresis, læsæ majestatis, et aliis similibus atrocissimis. — 92. Judæi nequeunt in judicio esse testes contra Christianos. — 93. Item dicendum est de paganis, hæreticis et quibuscunque aliis infidelibus. — 94. Prædictæ duæ conclusiones limitantur in criminibus exceptis ac in casibus, in quibus veritas aliter, quam per ipsos haberi non potest. — 95. Possunt insuper Judæi, aliique infideles in instrumentis, contractibus et testamentis esse testes, saltem si alii commode haberi non possint. — 96. Laici ordinarie non possunt esse testes contra clericos, et religiosos in causa criminali criminaliter mota. — 97. Adducitur et solvitur instantia. — 98. Possunt tamen laici esse testes contra clericos et religiosos in criminibus exceptis. — 99. Item in causa criminali civiliter mota, et in causis civilibus. — 100. Insuper possunt laici esse testes contra clericos et religiosos in defectu testimonii ecclesiasticorum. — 101. Clerici et religiosi non possunt esse testes contra laicos in causa criminali criminaliter mota. — 102. Et ubi agitur de imponenda laico criminoso poena sanguinis, non possunt clerici esse testes, nequidem in criminibus exceptis. — 103. Possunt tamen clerici esse testes contra laicos in causis criminalibus civiliter motis, et in causis civilibus. — 104. Insuper clerici possunt esse testes contra laicos, ubi veritas aliter haberi non potest, non solum in civilibus, et criminalibus civiliter motis, sed etiam in criminalibus criminaliter agitatis, dummodo non agatur de imponenda poena sanguinis. — 105. In dictis tamen, et similibus casibus clerici et religiosi ad testificandum cogi non possunt per judicium laicum. — 106. Unde si in defectu testimonii laicorum oportuerit clericum ferre testimonium, episcopus ejus, ad requisitionem judicis sæcularis, debet per se aut per alium examinare clericum, et ejus judicialem depositionem sub sigillo suo transmittere ad judicem laicum. — 107. Imo plures volunt quod in simili casu examen clericis contra laicum de licentia et assensu episcopi, si ita expedire judicaverit, possit etiam fieri per

judicem sæcularem. — 108. Afferuntur ad rem varia decreta sacre congregationis Immunitatis. — 109. An clerici et religiosi possint sine licentia suorum respective superiorum valide et licite esse testes in testamentis, instrumentis et contractibus laicorum? remissive. — 110. Nemo potest esse idoneus testis in propria causa. — 111. Advocati et procuratores nequeunt esse testes in causa, cui patrocinium præstiterunt. — 112. Neque judices possunt esse testes in causis, quas judicarunt. — 113. Dicta de iudicibus, advocatis et procuratoribus dicenda sunt etiam de tutoribus vel curatoribus in causis suorum pupillorum, vel minorum. Item de administratoribus syndicis et actoribus. — 114. Causa propria quæ dicatur. — 115. Proxenetæ, seu mediator inter contrahentes regulariter testis esse non potest in actu, seu negotio, in quo operam suam impendit, præsertim si salarium, aut emolumentum aliquod receperit. — 116. Potest tamen proxenetæ, seu mediator testis esse de consensu ambarum partium litigantium. — 117. Item potest esse testis, quando aliter sine ipso veritas haberi non potest. — 118. Item mediator potest esse testis favore matrimonii. — 119. Prælati aliique clerici possunt esse testes in causa civili suæ ecclesiæ; dummodo non subit alia rationabilis causa illos impediens a testificando. — 120. Et idem dicendum est a fortiori de regularibus, qui sine dubio testes idonei pro suo monasterio reputantur. — 121. Canonici testes esse possunt eorum, quæ gesta sunt in capitulo. — 122. Clerici tum sæculares, tum regulares ex antiqua rationabili causa, ut excommunicatione, perjurio, infamia, aut alio gravi crimine impediuntur a testificando etiam in causa suæ Ecclesiæ. — 123. Item nequeunt esse testes in causa suæ Ecclesiæ quando in eadem causa constituti sunt actores, procuratores ac responsales. — 124. Item clerici nequeunt esse testes in causa suæ ecclesiæ, quando commodum, seu utilitas inde proveniens est singulorum. — 125. Unde canonicus nequit esse testis idoneus in causa suæ particularis præbendæ. — 126. Sic etiam episcopus, abbas, prælati seu rector ecclesiæ non collegiatae nequeunt esse testes in rebus spectantibus ad solam suam mensam, seu præbendam. — 127. Item in causa universalis secularis, vel cujuslibet alterius possunt regulariter esse illi, qui sunt de universitate, vel communitate. — 128. Hinc quando agitur de probatione confinium, admittuntur testes de civitate, oppido seu communitate. — 129. Possunt autem testes de universitate repelli in causis illis, ubi commodum inde resultans tangit singulos eorum, et signanter in lite super nemore, vel pascuis, ubi singuli de communitate possunt ligna cædere, vel animalia sua pascere. — 130. Item repelli possunt testes de universitate, quando agitur de prædio, aut vinea, cujus proprietas est quidem universitatis, sed ususfructus et utilitas pertinet ad singulos. — 131. Item repelli possunt dicti testes, quando lite perditâ, in singulos de universitate imponenda est certa collecta. — 132. Alia ad rem ad num. 140.

(1. Testes dicti sunt, quasi superstites, textu expresso in cap. *Forus 10*, De verborum significatione, ibi: « Testes antiquitus superstites dicebantur, eo quod super causæ statu proferebantur, nunc (parte ablata nominis) testes vocantur. » (2. Unde testes generatim loquendo sunt personæ, quæ ad fidem alicujus rei faciendam adhibentur. Ita in re communis doctorum.

(3. In testibus sex præcipue sunt attendenda, nempe conditio, sexus, vita, ætas, dignitas, atque fortuna, sic Glossa communiter recepta, in car. *In nomine Domini 2*, De testibus, verb. *Utilissimi*, ubi ad id dat sequentes versus:

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requiruntur.

(4. Testes igitur ad hoc, ut ad testificandum possint admitti, debent esse idonei seu habiles, legitimi et integri, seu integræ opinionis, ac famæ. (5. *Communis*. Tales autem sunt et habentur idonei et legitimi, quicumque a testimonio dicendo per canones, vel leges non repelluntur. *Communis*, per textum in l. *Testimonium* 1, De testibus, ubi omnes illi pro testibus idoneis, habilibus, legitimis aut integris agnoscuntur, quibus non interdicitur testimonium: unde qui nulla legitima exceptione a testimonio repelli possunt, idonei testes dicuntur, et omni exceptione majores, capit. *Ex litteris* 1, De consanguinitate et affinitate, juncta Glossa, *ibidem*, verb. *Majores*, sic expresse dicente: « Illi dicuntur omni exceptione majores, qui repelluntur non possunt aliqua exceptione. »

(6. Contra autem testes inidonei seu inhabiles ad testificandum sunt omnes illi, qui jure prohibentur sive arcentur a testimonio ferendo. Ita in re communis. (7. Et existis aliqui in totum, sive omnino, et generaliter prohibentur esse testes, et alii limitate tantum, scilicet, vel pro certis personis, vel contra certas personas, vel in certis causis tantum, ut infra singuli distincte assignabuntur.

(8. Et in primis generaliter et absolute inhabiles ad testificandum, tam in causis civilibus quam criminalibus, sunt infantes et impuberes, id est masculi minores annis xiv annis, et feminae minores xii. l. *Testium fides* 3, § 5, et l. *Inviti* 19, ff. *De testibus*, juncta Glossa communiter recepta *ibidem*, verb. *Sed nec pupillis*. Et hoc propter defectum et infirmitatem iudicii, ut expresse dicitur in cap. *Infamis* 1, caus. 3, q. 7: « Et impubes, quia iudicio caret. » Vide tamen *infra* a n. 59.

* Primis quidem reipublicæ temporibus feminas fuisse a ferendo testimonio prohibitas, in dubium nequit revocari, ut monet Aul. Gell., *Noct. attic.*, lib. vi, cap. 7, qui refert, cuidam Taratiæ Vestali insigne privilegium lege Horatia indultum fuisse, ut testabilis esset. Verum posterioribus temporibus contrarium usu obtinuit, ut testatur Tacit., *Annal.* lib. ii, qui affirmat, tunc feminas in iudiciis audiri consuevisse. Profecto si quoti sunt, evolvantur textus civiles ab auctore nostro allegati, manifestum erit, jure Romano concessam feminis facultatem dicendi testimonii, cum in ipsis nec verbum quidem de feminis faciant. Si a priore textu lectionem suam incepisset, in contrariam procul dubio abiisset sententiam. Legimus siquidem in l. 18, ff. *De testibus*: « Ex eo quod prohibet lex Julia de adulteris testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres testimonii in iudicio dicendi jus habere. » Neque sola hæc lex est, sed clarissimis pariter verbis confirmatur in alia lege 20, § 6, ff. *Qui testamentum facere potest*: « Mulier testimonium dicere in testamento quidem non

poterit, alias autem posse testem esse mulierem, argumento est lex Julia de adulteris, quæ adulterii damnatam mulierem testem produci, vel dicere testimonium vetat; » nec est, quod sciam, ulla lex præcedentium derogatoria in toto corpore juris. *

(9. Item inhabiles ad ferendum testimonium sunt amentes et furiosi; isti enim, sicut non possunt esse iudices, per text. in cit. cap. *Infamis*, ita etiam nequeunt esse testes, quia mente carent. § *Testes autem* 6, institut. *De testamentis ordinandis*, § *Præterea* 1, institut. *Quibus non est permissum facere testamentum*, ibi: « Item furiosi quia mente carent. » Et concordat l. *In negotiis* 5, et l. *Furiosi* 40, ff. *De regul. juris*, et cit. cap. *Infamis* 1, caus. 3, q. 7, cum similibus.

(10. Item inhabiles ad id sunt surdi et muti simul a nativitate: isti enim animi sui sensus exprimere nequeunt, et ideo etiam testamentum facere non possunt. § *Item surdus* 3, institut. *Quibus non est permissum facere testamentum*, l. *Qui in potestate* 6, ff. *Qui testamentum facere possunt*, et l. *Discretis* 10, eod. eod. Tum quia testes viva voce deponere, eorumque dicta a iudice audiri debent. l. *Is cum ab initio* 4, et l. *Vel negare* 5, ff. *Testamenta quemadmodum aperiuntur*, leg. *Testim.* 2, § 1 *De testibus*. (11. Excipiuntur tamen qui ex accidenti surdi et muti, scribere, aut certis et indubitatis signis, seu nutibus cogitationes suas explicare possunt. l. *Sermo* 65, § *Si pupillo*, ff. *Ad senatusconsult. Trebellian.*

(12. Item inhabiles regulariter sunt cæci, quia solus auditus in testibus non sufficit, sed præsentia et visus requiritur. Can. *Testes* 15, caus. 3, quæst. 9, cap. *Cum caus.* 32, *De testibus*, ibi: « Visu, auditu, » etc. Leg. *Testium* 18, *De testibus*. Qui autem non vident, præsentem non dicuntur, leg. *Coram Titio* 209, ff. *De verbor. significat.*, leg. 1 in fine, et ibi Bartolus, ff. *De auctorit. et consens. tutor.*, adeoque qui non vident, testes esse non possunt.

(13. Item inhabiles sunt servi, seu mancipia, leg. *Quoniam liberi* 1, eod. *De testib.*, Authentic. *De testibus*, § *Si vero*, titul. 2, collat. 7, et cap. *Forus* 10, *De verbor. significat.*, ubi etiam ratio redditur, quia nempe servus sæpe metu dominantis testimonium supprimit veritatis. (14. Possunt tamen servi, seu mancipia esse testes, quando non habetur alia probatio ad eruendam veritatem, l. *Serv.* ff. *De testibus*, ibi: « Servi responso credendum est, cum alia probatio ad eruendam veritatem non est. » Et concordat lex *Cum probatio*, ff. *De probationibus* (sed vide ulterius, leg. 8, alias 7, eod. *De testibus*, l. 7, ff. *De probat.*, l. 58, § 2, ff. *De edict. edict.*), et cap. *Si testes*, § *Servi* 4, q. 3. (15. Insuper possunt servi, seu mancipia esse testes etiam in exceptis criminibus, quia in ipsis admittuntur, testes etiam inhabiles, cap. *In fidei* 5, c. *Accusatus* 8, § *Licet*, *De hæreticis* in 6. Vide etiam *infra* n. 23.

(16. Item inhabiles sunt ad testificandum, qui pretio ad id sunt conducti, cum eo ipso

corrupti censeantur, ac proinde eorum testimonium non valet, sed a parte adversa, imo et officio iudicis rejici potest, cap. *Placuit* 1, *De testibus*, ibi: « Placuit sancto conventui, ut testes non conducantur pretio; » cap. *Sicut nobis* 9, eodem cap. *Licet* 9, *De probationibus*, ibi: « Objecit in testes prædictos, quod corrupti falsa dixissent. » Can. *Non sane* 15, caus. 14, q. 2, l. *Testim.* 3, § 5, ff. *De testibus*, cum similibus.

(17. Item inhabiles ad testificandum tam in causis criminalibus, quam civilibus sunt infames infamia juris. *Communis*, per text. in cap. *Testes* 2, q. 7, cap. *Nulli* 3, q. 4, cap. *Constituimus* 3, q. 5, cap. *Præterea* 7, *De testibus cogendis*, l. *Testium* 3, § 5, ff. *De testibus*, ibi: « Alii vero propter notam, et infamiam vite suæ admittendi non sunt ad testimonii fidem. »

(18. Item inhabiles sunt ad testificandum in causis criminalibus criminaliter motis etiam infames infamia facti: in istis enim causis requiruntur probationes indubitatae, et omni exceptione majores; cap. *Denique* 1, *De exceptionibus*, cap. *Testes* 2, qu. 7, leg. *Sciunt cuncti* 27, eod. *De probationibus*, adeoque ad id non sufficiunt testes infames infamia facti, quorum fama, et existimatio, et consequenter fides apud viros prudentes, et honestos graviter læsa est. *Communis*.

(19. In causis autem criminalibus civiliter agitalis, et in causis civilibus non gravioribus regulariter admittuntur ad testificandum tales infames infamia facti, quamvis eisdem de fide non parum diminuatur. Glossa in cap. *Testimonium* 54, vers. *Emendatus*, *De testibus*; Abbas, *ibidem*, n. 6. Mascard., *De probationibus*, conclus. 1363, n. 59 et 65. Farinac., *De testibus*, q. 66, n. 100 et 115, ac sequent., allegans alios, Engel, lib. ii *Decret.*, t. XL, n. 16; Reiffen., *ib.*, n. 49, et alii.

(20. Etiam infames infamia juris admittuntur ad testificandum in variis casibus, et signanter in criminibus exceptis, ut hæresis, læsæ majestatis, et hujusmodi, quia in ipsis propter eorum enormitatem, ac maximam, quam reipublicæ afferunt, perniciem, admittuntur etiam testes inhabiles, cap. *In fidei* 5, et cap. *Accusatus* 8, § *Licet*, *De hæreticis*, in 6.

(21. Item quando veritas aliter haberi non potest, quam per tales infames, argument. l. *Servi* 7, ff. *De testibus*. Abbas, in cap. *Testimonium* 54, in 6, *De testibus*, Felinus *ibidem*, n. 11. Mascard., *loco cit.*, n. 52. Farinac., *loco cit.*, q. 56, n. 50 et 55, cum aliis ibi allegatis.

(22. Item quando infames rogati fuerunt ab utraque parte, ut essent testes: tunc enim præsumitur ejus fides mutuo partium consensu approbata. Sic Glossa, in authent. *De testibus*, § *Et licet*, collat. 7. Jason, in leg. *Cunctos populos*, n. 67, eod. *De summa Trinitate*; Caudus, in cap. 2, n. 3, *De testibus*; Farinac., *loco cit.*, q. 56, n. 92; Mascard., *loco cit.*, conclus. 1363, n. 53, et alii.

(23. Item valet testimonium infamis, quando tempore dati dicti testimonii com-

muni opinione reputabatur bonæ famæ, sicut valet testimonium servi communi opinione habiti ut liberi. *Comm.* per text. in l. *Testes* 1, c. *De testam.*

(24. Item inhabiles ad testificandum sunt criminosi, etiam non infames, id est qui commiserunt crimen grave, seu peccatum mortale non habens annexam infamiam juris: isti enim criminosi, sive jam fuerint emendati, repelluntur omnino a testimonio ferendo in causis criminalibus criminaliter motis; cap. *Testimonium* 54, *De testibus*, et Glossa, *ibidem*, verb. *Confessus*, et verb. *Opinio*. Hostiens., verb. eodem, Abbas, n. 8 et 12., Felin., n. 24 et 31. Barbosa, n. 1. Farinac., *loco cit.*, qu. 56, n. 135. Pirrhing, *loco cit.*, 22; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 61, et alii plures, et concordat cap. *Super eo*, *De testibus*. Et ratio est quia in istis causis requiruntur probationes majores, l. *Sciunt cuncti* 25, eod. *De probationibus*, cap. *Testes*, qu. 7, cap. *Denique* 1, *De exceptionibus*, cap. *Super eo* 13, *De testibus*, adeoque ad id non sufficiunt tales criminosi, cum ratione commissi gravis criminis eorum fides reddatur suspecta.

(25. In causis autem civilibus admittuntur ad testimonium tales criminosi, si jam sint emendati; secus vero, si nondum sint emendati, cap. *Testimonium* 54, *De testibus*, et ibi Glossa, verb. *Emendatus*; Abbas, n. 6; Barbosa, n. 1; Farinac., *loco cit.*, qu. 56, n. 126 et 134 ac sequent.; Mascard., *De probationibus*, conclus. 465, n. 2 et 6. Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 58. Pirrhing, *loco cit.*, n. 20 et 21, et alii. Et ratio est, quia licet digni sint fide tales criminosi jam emendati, ex quo criminosi post penitentiam non censeantur amplius mali, cap. *Ferrum* 18, dist. 50, indigni tamen fide sunt criminosi nondum emendati, cum non sit iis credendum contra alios, qui criminibus implicantur; can. *Neganda* 1, caus. 3, q. 11.

(26. Et hoc procedit de jure canonico quamvis tales criminosi de crimine nondum fuerint condemnati: dummodo crimen ipsis objectum legitime probetur, textu expresso in cap. *Super eo* 3, *De testibus*, ibi: « Respondemus, quod si etiam ante non sint confessi de criminibus illis: dummodo inde convincantur, in testimonium non debent admitti. » Et in ejus summario sic expresse dicitur: « Crimen nunc probatum repellit testem alias de illo crimine damnatum. »

(27. De jure civili tamen requiritur, ut de crimine illo fuerint antea judicialiter condemnati, leg. *Testium* 3, § 5, ff. *De testibus*, ubi: « Quique iudicio publico damnatus erit, » leg. *Athletas* 4, § 4, ff. *De his qui notantur infamia*; ibi: « Calumniator nam demum notatur (infamia) si fuerit calumniæ causa damnatus, neque enim sufficit calumniatum. » Ita Glossa, final. in cit. c. *Super eo*, et ibi Abbas, num. 3. Felin., num. 3; Farinac., Pirrhing, l. c., n. 19; Reiffen., l. c., n. 60, et alii.

(28. Criminosi jam emendati admittuntur pro testibus in causis etiam criminaliter

